



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Speculum Monasticum**

In Quo Totius Religiosæ disciplinæ Casus, Regulæ & difficultates clarè videntur, breviter explicantur & resolvuntur Canone, rationibus & Patrum auctoritatibus

**Philippus <a Domina Nostra Septem Dolorum>**

**Augustæ Vindellicorum, 1688**

Benevolo Lectori Salutem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40745**



BENEVOLO LECTORI  
SALUTEM,



Quoniam utile est [ ut ait S. P. Augustinus lib. 1. de Trinitate, cap. 1. ] ut plures à pluribus conficiantur libri stylo diverso

etiam de eadem materia, ut res ad multos diversimode perveniant, & novo titulo reficiatur lectoris animus, sicut novo pasceatur corpus viatoris hospitio. Ideo hoc Opusculum non tanquam proprii ingenii fœrum, sed ex celebrioribus Canonistis excerptum compendium, materiæ scilicet regularium, tuæ & publicæ Religiosorum satisfactioni proponere mens mea fuit, & non utique Religiosorum tantum, sed secularium Sacerdotum, uti maximo pere omnibus ita utilissimum, ut typis illud mandari ab illis fuerim sæpius sollicitatus,

tatus,  
illo,  
nia; fi  
sæ pul  
tutibu  
notru  
Evang  
dient  
nem,  
Sacros  
rum q  
fessari  
Novit  
debitu  
dum;  
tation  
charita  
puden  
quinq  
quæ a  
tiam, b  
ctant,  
in vita  
gentes  
riet. I

tatus, & compulsus, Multa enim sunt in illo, imo quasi omnia omnibus communia; siquidem velitne aliquis vitæ Religiosæ pulcritudinem contemplari, & in virtutibus clarescere, oculos ad Speculum nostrum convertat, & statim perfectionem Evangelicam, votorum paupertatis, obedientiæ & castitatis exactam observationem, divinorum officiorum assiduitatem, Sacrorum Ordinum susceptionem, Missarum celebrandarum obligationem, Confessariorum & Concionatorum regulam, Novitiorum & Professorum normam & debitum; censurarum evitandarum modum; Capitulorum, Electionum, & Visitationum sinceritatem, & correctionum charitatem, casuum quoque reservatorum prudentiam, multaquæ alia ad Capitula quinquaginta reducta, in quibus omnia, quæ ad Regularis disciplinæ observantiam, bonos mores & vitæ sanctitatem spectant, facilimè intuebitur; difficultatesque in vita etiam Religiosa plerumque emergentes explicatas, & clarè resolutas reperiet. Itaque, nec me frustra elaborasse putato,

to, si post eruditissimos ac præstantissimos  
 Doctores magistros meos [ quorum do-  
 ctrinam in omnibus sum sequutus & men-  
 tem ] hoc tibi *Speculum* proponerem, hac  
 motus ratione, quia, sicut non omnia pos-  
 sumus omnes, unus quidem de una circa  
 regulares materia, alter de altera disseruit,  
 multique de variis materiis, Regulares spe-  
 ctantibus, hinc deinde sunt loquuti. Ego  
 autem [ sicut apes ex variis floribus mel &  
 ceram industrie conficiunt ] ita ex mul-  
 tis Authorum opinionibus, *Speculum* for-  
 mari, & dispersas in variis Canonistis regu-  
 lares materias in illo congregavi. Verum  
 enim est, nec omnes Canonistas de singulis  
 regularium quæstionibus tractasse, quia,  
 ut axiomate supra dictum est, nec omnia  
 possumus omnes; quare, potissima ratio  
 hujus Operis condendi apud me hæc fuit,  
 quia nec Religiosi in particulari, imò nec  
 ipsi Conventus omnes, possunt habere  
 apud se plures Canonistas, & idè difficul-  
 tates seu quæstiones, quas in aliquibus non  
 reperi, in aliis collegi, & quæ in multis vo-  
 luminibus erant hinc inde dispersa, in hoc  
*Speculo*

*Speculo* congregata ad secum deferendum  
 facili tibi offerenda peroptavi ; modum  
 seu ordinem , ut melius potui , tibi placitu-  
 rum observavi , qui tibi [ ut existimo ] non  
 displicebit . Prima facie Indicem Capitum  
 quinquaginta prænnotavi , alterum in fine  
 Indicem , materiarum præcipuarum fide-  
 lem , adhibui . Si autem quædam macula in  
 proposito tibi *Speculo* obrepserit , quod sa-  
 ne [ ut credo ] aliter fieri difficile est , quia  
 omnis hominis proprium est errare , noli  
 propterea hoc respuere ; neque enim omne  
*Speculum* desinit videri propter maculam ,  
 sed illam charitatis velo , memor humani-  
 tatis tuæ solitæ , absterge & corrige , si pla-  
 cet ; illud quippe omnium censuræ liben-  
 tissime committo . Quod si tibi in aliquo  
 placuerit , non mihi , sed antiquis Patribus  
 & Doctoribus , ex quibus omnia collegi ,  
 laudem tribuere , & gratias JESU Infanti  
 reddere memor esto .

Vale .

AP-